

BOIARDO (Matteo Maria)

PASTORALIA (1000 vers)

SYRINGA INCIPIIT. COLLOCUTORES PAN, POEMAN.

PAN

P_1 v.1 Sum deus et nemorum custos, mea numina servant
 2 Menalus et viridis celeberrima silva Lycae
 3 et juga frondosis Nonacria consita plantis.
 4 Liquimus Arcadium, namque illic dulcia rumpunt
 5 carmina diverso crepitantia tympana cantu.
 6 Tum Scythia pascentes per florida rura capellas
 7 abstrahit et dominos, viduantur pascua dulci
 8 carmine et abductis squalescunt arva juvencis,
 9 ilicet exosi strepitus et tristia bella
 10 venimus ignotas Tyrrheni ad fluminis undas
 11 pascuaque ancipiti jampridem subdita Jano.
 12 Hic meus errantes servabat Tityrus haedos
 13 rustica divino permulcens pectora cantu,
 14 cujus et attonitae stupuerunt carmina lynces
 15 blandaque terribiles tenuerunt verba leaenas.
 16 Dum tamen horrentis acies et proelia tentat
 17 dicere, deseruit calamos ceu Strymonis undis
 18 candidus infecto suspirat carmine cygnus.
 19 Nunc tibi, nam virides sordent sine cantibus umbrae,
 20 tradere dignamur pastoria sibila, Poeman.
 21 Tu modo per silvas vestigia nostra secutus
 22 horrida Mavortis contingere tela caveto :
 23 nostra sed a nostro ducantur numine verba.

POEMAN

24 Sic tua Partheniae venerentur numina nymphae
 25 frigidaque Arcadiae regio, sic turgida puri
 26 flumina Ladonis venerentur et arduus Azan !
 27 Maxime pastorum custos, te cedere fas est :
 28 majus ab aethereo numen mihi missus Olympo
 29 inclitus Alcides ; illi mea munera sunt haec
 30 candida purpureum variantia mala colorem.
 31 Illum ego seu calamis, liquido seu gutture ludam,
 32 laudibus exornans meritis super omnia tollo :
 33 sit licet ille tuo cantari carmine dignus,
 34 nec mea Sicanios moduletur tibia cantus.

PAN

35 Cedimus et solo superari nomine fas est
 36 Herculis, hoc etenim silvas ac pascua nomen
 37 solvit, et horrendi fortissima colla leonis
 38 fregit et a Libycis Antaeum sustulit arvis.
 39 Nil juvat aeripedem cervam fuga, nil juvat hydram

40 crescere. Quid referam Cretaei cornua tauri
 41 fracta ? Quid Hesperii felicia poma draconis
 42 totque sub Herculeo pacatas robore terras ?
 43 Hic novus Alcides, patriis non degener actis,
 44 rettulit Herculeum meritisque et nomine nomen ;
 45 qui licet Estensi sit natus sanguine et altis
 46 inclita majorum decorentur gesta trophaeis,
 47 non tamen huic quisquam sese generosus avorum
 48 conferet, ille licet redeat qui cuspide Mauros
 49 perculit imbelles Hispanaque contudit arma.
 50 At nova praeclari canerem si principis acta
 51 stridula pascentes turbarent classica tauros ;
 52 sed Jovis imperio nunc dulcia linquimus arva,
 53 grataque formosis Mutinensia rura Napaeis.
 54 Tradimus hos igitur calamos, quibus addere sensus
 55 montibus et rigidis poteris dare pectora saxis.
 56 Thracius his Getico deduxit vertice silvas
 57 Orpheus, his Siculi celeberrima carmina vatis
 58 flumina praecipiti tenuerunt concita cursu.

POEMAN

59 Quae tibi tam caro reddam pro munere ? Quaenam
 60 thura vel Eois nascentia cinnama campis
 61 reddere sufficiant tanto pro munere grates ?
 62 Attamen hoc unum super omnia, dive, rogamus,
 63 quo sine nil prosunt oblatae dona cicutae :
 64 ut comes interea venias dum prima canemus
 65 carmina et incipiam levibus dare sibila cannis.

PAN

66 Incipe, vicinam comites via ducit ad urbem.

POEMAN

67 "Dicite, Naiades nymphae, si forte per agros
 68 obvius Alcides fuerit : me ferreus ille
 69 liquit et umbrosis pavidam me credidit antris ;
 70 dicite, sic nitidi fontes et flumina certent
 71 ludere, et innocui vestigia lambere pisces.
 72 Quid fugis incassum ? Non te mihi turbida ripis
 73 flumina, non totis rapiunt cum montibus Alpes.
 74 Me fugis ? Ah quondam puerum per saxa nivesque,
 75 per juga, per vacuos saltus male sana sequebar,
 76 nec tamen aut fusco fueram male grata colore,
 77 nec niger obscuro pendebat vertice crinis.
 78 Quid mihi forma decens, si te, mea sola voluptas,
 79 non libet hac mecum pariter considerare ripa ?
 80 Huc ades, hic liquidi labuntur fluminis undae,
 81 et viret aprico genialis gramine tellus.
 82 Aspice : formosae circumstant littora pinus
 83 blandaque summissis aspirat flatibus aura.
 84 Credimus, an totis facies infixata medullis
 85 Herculis eludit ? Meus, en meus advenit ille !

PAN

86 Ardua marmoreo jam dudum culmine turris
 87 cernitur : haec Mutina est. Ingentia respice, Poeman,
 88 moeniaque et pinnas et culmina celsa domorum.

POEMAN

89 Cernimus, ast alias jamdudum vidimus urbes
 90 et quibus edidici dicatur brassica caulis,
 91 non tamen hanc umquam me sors mea duxit ad urbem
 92 nec patet Herculeo radiet qua regia culmo.

PAN

93 Dicam ego, tu vigili quae dicam suscipe mente.
 94 Proxima vicini cum primum culmina pontis
 95 liqueris, haec recto ducet te semita cursu,
 96 crux tibi quadrivio donec sese ardua campo
 97 offeret, hinc laeva tandem se parte decori
 98 Herculis aula tibi celebrataque tecta patebunt.
 99 Sed satis et nimium tenuerunt verba : timendum est
 100 candida ne niveae claudantur limina portae.

PHYLIROE INCIPIT. COLLOCUTORES IN HAC TITYRUS, LYNCESES ET BARGUS.

TITYRUS

P_2 v.1 Vos eritis silvae testes, vos flumina vosque
 2 numina silvarum, tuque, o clarissime Titan,
 3 vos eritis testes mortem quod demorer ultra
 4 invitus, pigeat quod tristem ducere vitam ;
 5 namque meum sidus postquam fera fata tulerunt
 6 Phyliroemque meis oculis spectare negatum,
 7 vivere quid libeat ? Quid tantis tundere caelum
 8 amplius alloquiis immotaque numina prodest ?

LYNCESES

9 Quale sonat dulci turtur viduata marito
 10 carmen et aerae celso de vertice quercus
 11 argutos iterat questus et flebile cantat,
 12 tale sub adverso cecinit modo conditus antro
 13 Tityrus et, caram maerens abiisse puellam,
 14 crudeles superos, crudelia sidera dicit.
 15 Quare hoc si placeat positi sub caespite, Barge,
 16 fervida sollicitae capiamus vulnera mentis.

BARGUS

17 Quis Deus optanti, quis te mihi, Tityre, casus
 18 obtulit ? Arrident nostris bona numina votis.
 19 Siste gradum, LynceSES : non me Rhodopeius aequae
 20 detineat vates, non me vocalis Arion
 21 carmine mirantem solitus delphina movere.

TITYRUS

22 Felix qui cara pariter comitante puella
 23 Tartareas sedes nigrique Acherontis ad undam
 24 devenit : optatos non illum cernere vultus
 25 Infernae prohibent leges, non ille dolore
 26 angitur assiduo, nec mortem perditus orat.
 27 Quid non esse velim ? Pecudes sua gramina pascunt,
 28 laeta saginatus jacet ad praesepia taurus,
 29 libera per campos curisque soluta vagatur
 30 cerva, et aves vacuum volitant per inane, marinos
 31 per fluctus placidi ludunt, per flumina pisces ;
 32 at me durus Amor, rubro seu litore Phoebus
 33 tollitur Hesperiiis idem, seu conditur oris,
 34 urget, et in nostro fixi stant pectore vultus
 35 et flavi crines et candida colla puellae.
 36 Illam ego per silvas, illam per saxa nivesque
 37 aspicio : ah puris quotiens offertur in undis,

38 montibus ah quotiens viridique sub arboris umbra !
 LYNCES

39 Barge, quid Aoniis cantaret blandius antris
 40 Dircaeus vates, acri seu captus amore
 41 mulceret tenues modulatis versibus auras,
 42 seu vulsas rupes et grandia carmine saxa
 43 duceret ac tremulis montana cacumina silvis ?
 BARGUS

44 Miraris ? Pulchram si cernere fata dedissent
 45 hanc tibi Phyliroem, fluerent tibi carmina, Lynces,
 46 tigribus et torvis lacrimas motura leaenis.
 TITYRUS

47 Quid juvat in terris ablata degere vita,
 48 semper et assiduis superos lassare querelis ?
 49 Postquam (dulce nihil sperent mea lumina) ... Postquam
 50 lux mea luce caret, fortes agitare palaestras
 51 odimus et trepidis pedicas componere cervis ;
 52 nec nos Pierii cantus, nec carmina, nec nos
 53 oblectant agiles per florida rura choreae ;
 54 quaeque olim fuerant animo gratissima nostro
 55 sordent : at vacuos per pascua longa recessus
 56 quaerimus et pavidis pendentia saxa ruinis.
 57 Ite procul, pecudes, procul hinc, mea cura capellae :
 58 solus ego ad solos gemitus effundere montes
 59 vadam, si lacrimis insanus cesserit ardor.
 60 Me jubar exoriens, me sidera tota gementem
 61 aspicient, hiemis seu frigora dura ruentem
 62 Tixiniam sistent, seu torrida venerit aestas.
 63 Ite procul, pecudes, procul hinc, mea cura capellae :
 64 demens qui lacrimis crudeles cedere Parcas
 65 credis ! Threicii non si tibi carmina vatis
 66 optatam poteris verbis accersere mortem.
 67 Vos, montes, potius, potius miserescite, rupes,
 68 obruite miserum huc tantisque exsolvite curis.
 69 Sed quid ego incassum surdis mea carmina fundo
 70 rupibus ? Insanos tollet mors una dolores.
 71 Hic vel ab arguto subjecta in flumina saxo
 72 deferar aut altis venientem turbida ripis
 73 unda feret Situlae. Tu, nostri causa doloris
 74 Nympha, vale : pecudes, saltus, armenta, valete.
 LYNCES

75 Surgamus ne forte dolor jam saevius urgens
 76 praecipites saxis artus dare cogat amantem.
 77 Tityre, quid tecum sola sub rupe volutas ?
 78 Quid tantum lacrimis divosque hominesque lacessis ?
 79 Quis tibi finis erit ? Viventia lumina pacem
 80 abstulerant, eadem pacem tibi mortua demunt.
 81 Sit pudor insano tantum indulgere dolori.
 TITYRUS

82 Jamdudum, Lynces, perii cum candida caelum
 83 Phyliroe subiit, miserum nunc perdere mens est
 84 corpus et ablatae comitem me jungere divae.
 BARGUS

85 Ah quid ais ? Quo te tantum rapit improbus ardor ?
 86 Quae tibi causa necis ? Perii tua maxima cura
 87 Phyliroe, quod tu laetari, Tityre, debes :
 88 illa, bonum numen, superum formosa deorum
 89 alloquio fruitur, flentem et te maeret ab alto.

TITYRUS

90 Scimus et haec animo jamdudum, Barge, videmus
 91 omnia, sed dulces quoniam me cernere vultus
 92 dii prohibent, rursus flagranti in pectore curae
 93 ardentes subeunt, damnatae et taedia vitae.

LYNCES

94 Morte mori certum est, sed longe tristius illa
 95 est aliquid : sonti scelerum tibi cernere diras
 96 ultrices dabitur, coeptum depone furorem.
 97 Quin potius placidis mecum secede sub umbris
 98 Phyliroemque tuam meritis tollemus ad astra
 99 laudibus : alterno resonabunt carmine valles.

TITYRUS

100 Perge, sequar : forsan melior fortuna paratur.

ERIPOEMENON INCIPIT. COLLOCUTORES POEMAN, HERCULES, SILVANUS

POEMAN

P_3 v.1 Alter ab Arcadia, Siculis de montibus alter
 2 venimus, Herculei dudum quo nominis usque
 3 fama venit : placidas alternis cantibus aures
 4 ne pigeat praebere, dabunt haec carmina forsan
 5 nomen in extremis victurum finibus olim :
 6 sic et Dardanii juvenes et pulcher Adonis
 7 ignotos inter saltus et pascua noti :
 8 accipe nos igitur, princeps invicte, paratos
 9 versibus et dulci pariter contendere cantu ;
 10 sic tua te virtus et dextrae insignia fortis
 11 aeternum terris servent, sic aurea nobis
 12 saecula et innocui vigeant, te principe, mores.

HERCULES

13 Quin agite et viridi mecum considite in herba,
 14 et varios inter flores alterna ciete
 15 carmina ? Tuque prior, primum mihi cognite Poeman,
 16 incipe ; carminibus totidem, Silvane, sequeris.

POEMAN

17 Horrida diffugiunt glacialis tempora brumae
 18 et nivibus positis placidi mitescere montes
 19 incipiunt, pariter solitus mihi crescere fervor
 20 incipit : incipiam pariter cantare Cytherim.

SILVANUS

21 Seu ver florigerum, seu torrida venerit aestas,
 22 sive erit autumnus, hiemis seu frigora, semper
 23 diceris nostris, Cardelia, versibus : et te
 24 silvestres referent a nostro carmine picae.

POEMAN

25 Solibus hibernis, aestiva blandior umbra,
 26 blandior his undis et dulci blandior aura,
 27 huc ades, o mea cura : quid est ? Quo silva moretur ?
 28 Illa riget dumis, virides tenet illa colubros.

SILVANUS

29 Rupibus asperior, ventosa surdior unda,
 30 et levibus foliis volucrique incertior Euro,

31 quid tam lenta venis ? Quid enim est ? Quo silva moretur ?
 32 Illa tenet colubros, duris riget illa rubetis.

POEMAN

33 Hic nivei flores, croceis variantibus illos,
 34 hic umbrae tenues, quas frondea porrigit arbor,
 35 et puri fontes et gramina laeta Cytheri :
 36 tecum hic quam libeat placidam deducere vitam !

SILVANUS

37 Tecum ego dumosos colles et terga nivosae
 38 Alpīs et abrupta qua pendet rupe Fananum
 39 quaque magis rigidi consurgunt saxa Lonati,
 40 tecum ego desertas colerem, Cardelia, silvas.

POEMAN

41 Quae juga, qui colles, qui vos tenere recessus,
 42 dicite, Hamadryades, superis cum cessit ab oris
 43 candida Phyliroe ? Lacrimis rorare supremos
 44 ite, piaae, cineres et dona novissima ferte.

SILVANUS

45 Fleverunt maestae crudelia funera nymphae,
 46 Phyliroes tumulum lacrimis sparsere, rosisque
 47 et ferrugineas violas et candida circum
 48 lilia purpureosque piaae posuere hyacinthos.

POEMAN

49 Diligit et versus et carmina nostra Cytheris,
 50 nam modo cum canerem cantus lasciva notabat,
 51 spectari et cupiens corylos agitabat et inde
 52 visa sub umbrosis latitabat pendula ramis.

SILVANUS

53 At mea me solum spirat Cardelia, solum
 54 ardet, nam levibus quotiens per plana veredis
 55 auritos agitem lepores aut retia servem,
 56 haec furtim sequitur venantemque aemula servat.

POEMAN

57 Quid non cogat Amor ? Tunc dicere carmina primum
 58 coepimus et primum meditados fundere versus
 59 ille dedit cantus nobis artemque loquendi,
 60 Castaliis melior nymphis et Apolline major.

SILVANUS

61 Primus Amor docuit varias componere voces
 62 et dare disparibus resonantia verba cicutis,
 63 primus et insuetos querulo de gutture cantus
 64 duxit et argutas docuit cantare volucres.

POEMAN

65 Pastores, avidas fluvio prohibete capellas
 66 atque arcete procul pecudes, mala vipera ripas
 67 incolit : ah miseris ne forte occurrat et atros
 68 adiciat morsus et tristia vincula nectat !

SILVANUS

69 Huc, pueri, cohibete greges, ubi plurima surgunt
 70 gramina et horrenti pecudes defendit ab Euro
 71 collis, et Herculeo tuti sub nomine saltus
 72 nec varias metuunt vulpes nec bella luporum.

POEMAN

73 Hic aestu pereunt fontes, sine gramine tellus
 74 tristis inersque jacet, morbo periēre capellae
 75 et steriles raris resonant mugitibus agri,
 76 ut novus Alcides nostris discessit ab oris.

SILVANUS

77 Piniferi elato laetantur vertice montes,
 78 laetantur silvae, varios laetissima tellus
 79 effundit flores, gaudent volucresque feraeque
 80 Herculis adventu, gaudent armenta pecusque.

HERCULES

81 Jam satis alterno pugnatum carmine, jam nox
 82 nigra subit, grates vobis persolvere dignas
 83 est animus : paribus certantes versibus ambos
 84 ex aequo parili donandos munere duco.
 85 Accipite hos igitur corsa de matre gemellos
 86 pugnaces catulos : fures turbamque luporum
 87 nocte sub obscura tuti temnetis, et iidem
 88 per silvas comites perque horrida saxa fugacem
 89 latratu capream laqueis incumbere cogent.

SILVANUS

90 Dii tibi pro nobis quae nos non possumus ipsi
 91 reddant, sed tenues si quid cantare cicutae
 92 hae poterunt, totis, princeps, cantabere silvis.
 93 Te fluvii celeres nostrique cacumina montis
 94 laeta canent, nec tam vocali carmine Daphnis
 95 notus erit, quamquam formoso nobilis ore
 96 fulgeat et puris nomen sibi poscat in astris,
 97 nec qui flaventes hedera cohibente capillos
 98 incedit curru, domitoque insignis Eoo
 99 ad juga virgatas cohibet considerare tigres.
 100 Sed jam crebra polo collucent sidera : eamus.

MATTHAEI MARIAE BOIARDI COMITIS VASILICOMANTIA INCIPIT.

P_4 v.1 Mira canam quae vix annis abeuntibus aetas
 2 ambiguo meminit Phoebi jam prodita cantu.
 3 Tu, dea, cui caeli cursus, cui sidera cordi,
 4 cui ventura patent et inevitabile fatum,
 5 Uranie, mecum silvas habitare casasque
 6 ne pudeat. Quid non ? Pecudes Amphrysia circum
 7 flumina formosus jamdudum pavit Apollo.
 8 Hesperias placido lustravit lumine gentes
 9 Juppiter et populos tandem miseratus ab alto
 10 prospicit Ausonios. Terrae laetentur et aequor :
 11 florida perpetui consurgunt gramina veris,
 12 nunc spirant zephyri pulsus aquilonibus et nunc
 13 candida formosi posuerunt tegmina montes.
 14 Exsultant hilares per flumina laeta Napaeae,
 15 grataque tergeminas comitatur Nympha sorores.
 16 Hic vanos inter flores serpillae rosasque
 17 indulgent choreis et dulcia carmina ludunt.
 18 Haec primum incipient bis septem saecula postquam.
 19 Transierint decimumque eadem post saecula lustrum
 20 quo deus omnipotens hominis sub imagine terras
 21 diluit et veterum noxas tulit inde malorum.
 22 Tunc iterum mores terrenaque corpora menti
 23 astrorum regis suberunt : tunc Borsia virtus
 24 immortale decus caelo mittetur ab alto.

25 Tunc lappae et tribuli et nigri mala grana githonis
 26 et lolium et sterilis semen morietur avenae.
 27 Non nimbus laedet segetes, non horrida vitem
 28 vastabit glacies, non turgida flumina campum ;
 29 desuescet mortale genus sentire feroces
 30 pugnatum strepitus et tristia signa tubarum :
 31 desuescet tristes ferrato in vertice cristas
 32 cernere et erectum cuneis fulgentibus agmen.
 33 Tunc rapidae fugient tigres genus atque luporum,
 34 rupibus et tristes ursi morientur in altis.
 35 Te vero, superum rector cui candida subdet
 36 armenta et pecudes signatas vertice, te nunc
 37 alloquor, humani si te jactura decoris
 38 nil movet ac rebus contraria nomina portas,
 39 at sperasse decet summo quod nixus Olympo
 40 Juppiter obstruos hominum circumspicit actus,
 41 mentibus et meritis aequae sua premia pendens.
 42 Squalida terribiles animos in praelia Phoebe
 43 erigit : Hesperios jamdudum sanguine campos,
 44 sanguine et Hadriacas spumantes cernimus undas ;
 45 nec satis extremo vires adjungit Hiberno
 46 Gallica quo Graiis procumbant lilia campis !
 47 Jamque Malus pendet sub eodem sidere Vertex,
 48 Isthmiaci fractum nec tollent gesta duelli.
 49 Hoc superi prohibete nefas : non caedibus hydram
 50 crescentem innumeris patriae sed viscera ferro
 51 appetet, Hesperio satiari sanguine gliscit.
 52 Antia sed vultu placido quem diva superbum
 53 reddidit, o pecudis nivei haec fatalia custos
 54 accipe ; non summi geminentur tempora regis
 55 montibus in mediis, medio dum Caesaris heres
 56 ardebit solio ; cogereis rumpere vitam
 57 barbarus ac pecudi cantabit carmina pastor,
 58 aurea formosae cui fulget lamina dextrae.
 59 Tunc cervos laqueis, volucres tunc fallere visco
 60 desistet mortale genus ; verum aurea saecla,
 61 aurea progenies iterum : non fortia tauri
 62 colla jugo subdent sed passim libera campis
 63 armenta et pecudes viridantia gramina carpent,
 64 non pardum fugient lepores, non damma leonem,
 65 et celeres picta jungentur tigris cervi ;
 66 sed geminas superum regis volitare volucres
 67 jam video : nigras superis haec dirigit alas,
 68 secum candidulis caelum petit altera pennis.
 69 Nunc ego te niveae decus indelebile prodam
 70 alitis, immenso cujus sub robore rursus,
 71 rursus et Herculeo pacatur nomine tellus.
 72 Fulva Cleonaeo jam te praerepta leoni
 73 pellis obit : jam tu fortissima colla tumentem
 74 ignibus appositis urges juveniliter hydram
 75 quam non arma queant, validum non frangere robur.
 76 Ver dabit et flores, te praeside, frugibus aestas
 77 dives erit multis, tunc poma autumnus et uvas
 78 conferet ac pleni vix stabunt pondere rami,
 79 brumaeque jam tepido mitescet dura sereno :
 80 tunc grandes pecudum foetus, tunc copia lactis,
 81 tunc nec sanguinei radiabit stella cometae,
 82 nec vastum insanis consurget fluctibus aequor,

83 non catulum rabies, pecudem non tabida pestis
 84 corripiet, flavas rubigo haud horrida messes
 85 eruet, haud tristi procumbent grandine vites.
 86 Quo ruis, ah demens ? Heroum gesta superbis
 87 commemoranda sonis tenui mandare cicutae
 88 ausus es et duras fatorum solvere voces,
 89 quod non Eriphyle, quod non Marpesia, quod nec
 90 dixerat erranti mandans sua carmina lauro :
 91 plurima sed taceo, quamquam Phoebeia, quamquam
 92 tradita veridica mereantur ab arbore nomen.
 93 Audaces timeo ne sidera summa petenti
 94 deficiant pennae, sicut maris occupet unda
 95 ora, sicut poto tribuam nova nomina ponto.
 96 Haec tamen inculti fuerint solatia cantus
 97 rupibus et saxo, cecini quod carmina surdis.
 98 Jam neque, Hamadryades, posthac ignobile carmen
 99 Nympharumque choro aut hominum referetis ad aures
 100 montibus, at lateat solis in montibus ortum.

SILVA INCIPIIT. COLLOCUTORES IN HAC LYCANOR ET MENALCAS.

LYCANOR

P_5 v.1 Quam bene nunc dulci tenuis sonat aura susurro
 2 amnicolas inter salices, et frondea nutant
 3 virgulta excelsoque agitantur vertice pinus ;
 4 quam bene vicino respondent murmure ripae :
 5 molliaque argutos invitant sibila cantus.

MENALCAS

6 Vera refers, utinam comitem sors candida Bargum
 7 adderet, huic parili certaret carmine contra
 8 Tityrus, immotas solitus deducere quercus.

LYCANOR

9 Quod cupis id cupimus, prohibent sed fata, Menalcas :
 10 alter enim circum pecudes et pingua circum
 11 armenta, oblitus nemorum, noctesque diesque
 12 perditur, et tenues claudunt sua carmina lanae ;
 13 alter Hamadryadas et florida rura Lycaeii
 14 deseruit, celsasque vagus delatus ad arces
 15 ardentis acies et regum praelia tentat.

MENALCAS

16 Quandoquidem in silvis pudor est considerare doctos
 17 armaque vocales cupiunt horrenda poetae,
 18 nos, quibus ingenium, quibus ardua verba, Lycanor,
 19 deficiunt, humili celebremus carmine silvas.

LYCANOR

20 Incipe, sic viridi consurgant aequa Vesevo
 21 gramina, sic pingues redeant cum matribus agni
 22 plenaque foecundis concrecant ubera fetis.

MENALCAS

23 Incipiam, melior cantu meliora rependes.
 24 Postquam nulla meum pietas miserata dolorem
 25 subvenit, extremo frondentes carmine silvas
 26 alloquar, hae nullos solitae contemnere questus.

27 Scitis enim, quercus celsoque cacumine fagi
 28 fraxineumque nemus viridantisque ilicis arbor,
 29 scitis enim quales gemitus, quae carmina fundam,
 30 quam repetam vestro signatum in cortice nomen,
 31 dumque vagor solus, quae condita pectoris edam
 32 vulnera : ceu quondam fallaci perfida vultu
 33 promisit misero, starent quod sidera, quod sol
 34 ureret obliquis immotam cursibus Arcton,
 35 cum possem immoto tandem de pectore labi.
 36 Scitis et ut totis flagrantem scaeva medullis
 37 rideat et, laeto, spectans incendia vultu,
 38 improba juratosque deos et numina temnat.
 39 Posthac dulce nihil, semper mihi lumina fletu
 40 turgida et extremo singultus pectore ducti ;
 41 nil gelidi fontes, nil gramina laeta pecusve,
 42 serpentesve juvant hederæ, non fluminis unda
 43 et virides circum ripae, non roscida ramis
 44 mala juvant plenis, non flexi palmitis umbra.
 45 Displicet haec querulos fundens mea tibia cantus :
 46 et vitam pariter carmenque exosus et artem
 47 posse mori cupiam, ni spes procul aurea nobis
 48 mutatosque deos melioraque pectora monstret.

LYCANOR

49 Non ita populeo madidus sub vertice mergus
 50 laetatur nitido pennas ostendere Phoebos,
 51 nec tantum rapido cervus deprensus ab aestu
 52 nare per aequoreos fluctus, per flumina gaudet,
 53 quantum ego divino laetatus carmine, quo te
 54 sistere crediderim fluvios, quo ducere montes,
 55 mire puer : non haec reddemus verba vicissim,
 56 sed quocumque modo nostra haec incondita dicam.

MENALCAS

57 Incipe, sic numquam foetas variatus asilus
 58 exagitet, pecorique tuo nec tabida pestis
 59 ingruat, aut fato pereant urgente capellae.

LYCANOR

60 Felices ripae, fortunatissima puri
 61 unda lacus, vestro candentia membra liquore
 62 perfudit vestris mea lux sua corpora lymphis :
 63 huc posuit gressus, memini, jam nuda decoros
 64 et niveis pedibus gaudentia germina movit.
 65 Nil reor in terris formosius ulla tulisse
 66 saecula, seu roseam Chlorim seu Phyllida jactent.
 67 Aureus e niveo fulgebat vertice crinis
 68 perque humeros, ludens, per cygnea colla volabat ;
 69 alba genas tenui leviter suffusa rubore,
 70 flectebat dulci radiantia lumina risu :
 71 lumina quis purus astrorum cederet ardor.
 72 Pectora quid dicam duris formosa papillis ?
 73 Quid femur, aut niveo planum sub pectore ventrem ?
 74 Brachia quo laudem, teretes quo carmine suras ?
 75 Posthac triste nihil sperent mea lumina jam se
 76 cernere, dumque meo stabunt in pectore vultus
 77 formosi (stabunt etenim dum vita manebit)
 78 hoc nemus, hi montes et erunt haec flumina nobis
 79 sacra : nec intonso tantum Parnassia rupes
 80 clara deo colitur, nec tantum grata Dianae
 81 Eurotae Oebalii venerantur flumina nymphae.

82 Sic mihi felices servent pia numina cursus.
 83 Hei mihi ! Quam timeo dudum ne fixa sub isdem
 84 legibus aut vultu maneat fortuna sereno !
 MENALCAS
 85 Digna satis tali quaenam pro carmine dona
 86 sperem posse dari ? Tantum non roscida prata
 87 mane placent pecori nec tantum salsa capellis
 88 gramina, non virides silvae, non pascua nobis.
 89 Haec tamen egregio quamvis indigna labori
 90 munera habe : haec calamo quondam mihi parta sonanti
 91 pocula, majoris calamis cessura poetae,
 92 fagina, sed torno docti laborata Comastis.
 93 Herculis in medio fulgent insignia nostri,
 94 Narcissus bicolor solidoque adamante revinctus.
 LYCANOR
 95 Quis queat egregiis culto cum carmine donis
 96 condignos versus et munera digna referre ?
 97 Non si docta deus formet mihi carmina, non si
 98 multa Tarentinos pascat mihi buccula campos.
 99 Hanc tamen, ut nostri subeat quandoque, catellam
 100 accipe : dent superi quicquid super inde mereris.

MATTHAEI MARIAE BOIARDI COMITIS HERODIA INCIPIT.

P_6 v.1 Aurea rorantes fugiebant sidera currus
 2 solis et umbrosae cedebant tempora noctis,
 3 solus ego, in silvis, qua proxima prata Capello
 4 unda ferit Situlae, per devia rura vagabar.
 5 Ecce sub adversa videor mihi carmina rupe
 6 audisse Orpheis dicuntur qualia chordis
 7 exisse, aut dulci memoratur qualia cantu
 8 doctus Maenaliis Pan evolvisse sub antris.
 9 Accedo ut clari pateat mihi carminis auctor :
 10 stabat Michalii Bargus sub vertice montis
 11 mollia Pierio fundens modulamina versu ;
 12 circum agiles ludunt satyri nymphaeque decentes,
 13 auscultant rigidae nutanti vertice quercus,
 14 graminis oblita, capiunt et blanda juvencae
 15 carmina, et arguti quatiunt capita ardua montes.
 16 Ille canit : duro genitam cum robore prolem
 17 Hesperiam patrio pulsus Saturnus Olympo
 18 accepit, moresque novos, nova nomina fecit ;
 19 saecula tunc Jano cantat regnata bifronti,
 20 et Saturnigenam praestanti corpore Picum
 21 reddit avem, et comites variarum monstra ferarum,
 22 et Diomedeos comites dat carpere purum
 23 aera, nam niveis circumdat corpora pennis ;
 24 tum canit et doctas ausum celebrare choreas
 25 Nympharum, viridi conclusum cortice corpus
 26 pastoris tristi jam stirps oleagina succo ;
 27 vertumnumque canit, varias cui sumere formas
 28 fas erat, huic et fas placuit si ponere sumptas ;
 29 tunc Samium canit ille senem, qua mente deorum

30 noverit affatus, ut totis obruta terris
 31 callidus eruerit Naturae arcana potentis ;
 32 jungit et Etruscis praesago pectore glebis
 33 concrevisse Tagen, primus qui noscere fibras
 34 coeperit et dubios avium praescire volatus ;
 35 Parrhasiosque refert equites Herilumque subactum
 36 viribus Evandri, totiens qui cuspide fusus
 37 et totiens Stygio fuerit revocatus ab amne ;
 38 nec minus Iliacas acies totamque furenti
 39 Hesperiam bello praestanti carmine miscet ;
 40 addit et Idaeo prognatas vertice pinus
 41 nympharum specie notum jam nare per aequor ;
 42 adduntur gemini Mavortia pignora fratres
 43 horrida villosae lambentes ubera matris ;
 44 tunc magis elato Romanum carmine cantat
 45 nomen, et ancipiti jussos certare duello
 46 tergeminos juvenes diversisque acta quadrigis
 47 membra ducis memorat ; tunc nomina clara Metellos
 48 torquatosque refert, insignis marte Camillus
 49 additur et clarum cui contulit Africa nomen.
 50 Tandem grandiloquo Borsaeas carmine laudes
 51 incipit : audito siluerunt nomine venti
 52 turbidaque immoto stupuerunt flumina cursu,
 53 illius ad nomen flexere cacumina quercus
 54 et proni intonso nutarunt vertice montes.
 55 Ille decus mirum praestanti in corpore cantat,
 56 ore Jovi ut similis, ut Phoebos crinibus utque
 57 brachia Threicii tulerit cum pectore Martis.
 58 Nec minus ut prima quondam flagrante juventa,
 59 arma calens et equos, victricia signa Philippi
 60 cum tulit, oblatas patriaeque ut sumpsit habenas
 61 utque, truci armorum strepitu lituisque sonante
 62 Italia et totae fremerent cum praelia gentes
 63 vicinae, placida populos in pace quietos
 64 continuit, procul hinc et tristia reppulit arma.
 65 Salve, Estense decus, terrarum gloria Borsi,
 66 quo duce sideribus terras Astraea relictis
 67 incolit, et prisca rursum quo principe mores
 68 aureaque aeterni redierunt otia veris ;
 69 salve, Estense decus, sub quo fulgentia tuti
 70 agmina et horrendo nescimus classica cantu.
 71 Quid dicam ? Herculeum merito cum carmine nomen
 72 extulit et clarae primos ab origine gentis
 73 heroas cecinit : quales cum sancta subactis
 74 jura darent populis, quales cum praelia duri
 75 Martis et eversos agerent juveniliter hostes :
 76 teque decus rerum caneret, nova gloria celsi
 77 sanguinis, et docto celebraret carmine laudes
 78 egregias tua gesta canens : te vivida virtus,
 79 te vigor Herculeus, te formosissima pulchri
 80 corporis effigies et munera Palladis ornant.
 81 Tu Calabrum cuneos Siculasque, invicte, phalanges
 82 eruis ; haud olim puerum Pandonius heros
 83 terruit, immani quamvis se corpore et armis
 84 obtulerit ; non te segnem sensere feroces
 85 Ambraciae populi, quamvis et flectere habenas
 86 et jaculum excusso docti intorquere lacerto ;
 87 non te dira lues, fulvi mala cura metalli

88 occupat, at toto virtus pretiosior auro
 89 elatum tenues aurasque et sidera supra
 90 extulit, aeternumque dedit per saecula nomen.
 91 Haec memini doctum vario modulamine Bargum
 92 fundentem, et caelo referentes carmina montes,
 93 oblatasque hederas et Bacchica sarta canenti,
 94 et circum in numerum, manibus per mutua nexis,
 95 formosas tenuem Dryadas duxisse choream
 96 mollia composito rumpentes gramina passu ;
 97 et memini nullo saltantes ordine Faunos
 98 silvanos Satyrosque et caetera numina ruris,
 99 donec stellato succedens Cynthia coelo
 100 compulit et vatem comitesque relinquere saltus.

INCIPIIT BUCCULA. COLLOCUTORES POEMAN, CORYDON ET BARGUS

P_7 v.1 Dicite io, pueri, si forte ad fluminis undas
 2 venerit his hodie mihi perdita buccula lustris.
 CORYDON
 3 Scilicet hoc solum curae est : tua buccula nobis
 4 credita ? Lascivos demens agitabis amores,
 5 nos tibi custodes servabimus omnia, Poeman ?
 POEMAN
 6 Altius his blaeso nil diceret ore superbus
 7 Baebius aut illo si quisquam elatior alter.
 8 Non tamen admiror cum te tua cornua tollant :
 9 saepius et tristes crudescunt cornibus hirici.
 CORYDON
 10 Haec tibi credemus, veluti Jovis ardua quercus
 11 dixerit aut dubio cantu non falsus Apollo ?
 POEMAN
 12 Credere quis cogat ? Sed cur tibi tanta Patelli
 13 gratia ? Numquid oves et jugera culta Patellus
 14 diligit ? Hei demens Corydon ! Tu ponere vites
 15 pergis et a vacuis nucibus discernere plenas,
 16 te tua discernit conjunx haud stulta Patello.
 CORYDON
 17 Ureris, haud fallor, quod me super omnia gratum
 18 ducit et exoptat super omnia cara Patellus.
 19 Saepius a magna discedens urbe canentem
 20 me petit et solis mecum spatiatur in arvis,
 21 et mea deducto sic carmina suscipit ore
 22 nollet ut ad superos Phoebeaque lumina tolli.
 POEMAN
 23 Haec ego si credam, numquam mihi fistula collo
 24 pendeat, hanc frangam proprio vel dente cicutam.
 25 Tu tibi forte aliquid magnum cecinisse videris
 26 cum "Rosa bella" tuo consurgit carmine, vel cum
 27 proditur a pueris jam cognitus "Ille triumphus".
 CORYDON
 28 Si placet, alternis certemus versibus ergo,

29 nam, licet et Tribracho certes vel doctior illo,
 30 non tamen effugiam. Victori praemia major
 31 tu dabis aut melius pones : tibi plena facultas
 32 de grege seu malis pecudes seu ponere taurum.

POEMAN

33 Quam bene, dii mites, quod si mihi perdita dudum
 34 buccula majores pandunt pia numina census !
 35 Tu, cui nota prius pastoria sibila, Barge,
 36 huc ades. Alterno certamus carmine : lactis
 37 pondera bina et oves totidem, simul adde juvencam.
 38 Praemia victori. Certum est cohibere loquacem.

BARGUS

39 Dicite, nos viridi carmen capiemus ab ulmo,
 40 quando umbrae tenues et dulcis sibilat aura,
 41 et formosa virent fecundi pignora veris.
 42 Dicite, tuque prior, Corydon, tua carmina pande.

CORYDON

43 Diva prius levibus carmen modulata cicutis,
 44 huc ades et versus et carmina nostra tuere.

POEMAN

45 Phoebe, meum numen, superent mea carmina, Phoebe
 46 Orphea vel Tyrium, quisquis fuit ille, poetam.

CORYDON

47 Sola meos olim tenuit Cardelia sensus,
 48 donec erunt aestus et frigora sola tenebit.

POEMAN

49 Nos cupit ante alios, nostro Philomela decore
 50 uritur, uretur fulgebunt sidera donec.

CORYDON

51 Conde jubar, Titan, longissima lumina conde,
 52 conde jubar : pactum liceat mihi poscere munus !

POEMAN

53 Quam brevis hesternae decessit Cynthia nocte !
 54 Vix licuit positam cupido mihi tangere nympham.

CORYDON

55 Tam formosa meo gaudet Cardelia cantu
 56 quam fluviis salices, salicis quam fronde capellae.

POEMAN

57 Tristia sunt nobis tantum tua jurgia quantum
 58 vitibus aut capreae, capreisve fugacibus ursi.

CORYDON

59 Saepius ingenti posui mea membra sub ulmo,
 60 saepe sub ilicibus, nec reppulit umbra calorem.

POEMAN

61 Hei mihi ! Quis tantos poterit cohibere calores ?
 62 Quis ? Padus aut Tuscho tdescendens de vertice Rhenus ?

CORYDON

63 Urimur Apuliae ceu sicco in pulvere messor
 64 uritur et longis ceu torrida farra diebus.

POEMAN

65 Urimur ardenti ceu pingues unguine pinus,
 66 robora ceu viridis ardent incensa cupressi.

CORYDON

67 Haec tibi texuntur vario distincta colore
 68serta : novus Titan cum venerit, ipsa venito.

POEMAN

69 Est mihi, quod tribuam cum tu, mea maxima cura,
 70 veneris, illa tuo volucris de nomine dicta.

MOERIS

9 "Frigida somniferae jam cedent tempora noctis
 10 fervidus et roseo radiabit vertice Titan,
 11 jamque erit ut caram liceat mihi visere nympham.
 12 Abdere quid cessas rorantia Lucifer astra ?
 13 O bene candenti certantia colla ligustro,
 14 o bene sideribus certantia lumina puris
 15 aureaque errantis vincentes vellera Phrysi,
 16 perque caput crines, per candida colla decori :
 17 En erit ut pascam dulci mea lumina visu ?
 18 Abdere quid cessas rorantia Lucifer astra ?
 19 Exere formosos Sol formosissime currus,
 20 exere : sic virides lauri pulcherrima semper
 21 et jubar et longi circumstent tempora crines !
 22 Purpureum jam tolle caput, mea vota moraris !
 23 Abdere quid cessas rorantia Lucifer astra ?
 24 Qui potuit flavam juvenis vidisse Cytherim
 25 et non extremis flagrantia tela medullis
 26 sensit, et insolitos non pectore concipit aestus,
 27 Alpinas idem glacies et frigora nudus
 28 transeat et, rapidi fulget cum stella Leonis,
 29 Apula sollicito transmittat pascua cursu.
 30 Paulatim fugiunt nebulae, lux proxima surgit
 31 abdere quid cessas rorantia Lucifer astra ?
 32 Cum subit in mentem Maiis quae verba Kalendis
 33 dixeris et juncta dederis quae foedera dextra,
 34 ardua stellati videor mihi culmina caeli
 35 tangere et elato sublimem vertice Olympum ;
 36 cum rursus video quali te lumine cernat,
 37 quodque dolet, quali spectetur lumine Lynces,
 38 mens abit : hanc roseo reddent tua lumina vultu.
 39 Abdere quid cessas rorantia Lucifer astra ?
 40 Proxima cum primum se lux dabit aurea terris
 41 invisum multo pellemus munere Lyncem :
 42 sunt grege de niveo tenuissima vellera et agnus,
 43 mollia candenti vestitus tergora lana,
 44 sunt gemini variis praestantes pelliibus haedi,
 45 munera formosae dudum servata puellae.
 46 Abdere quid cessas rorantia Lucifer astra ?
 47 Roscida venturo vanescunt sidera Phoebos
 48 atque diem rauco testantur gutture galli,
 49 integrat et moestis cantus Philomela querelis.
 50 Jam magis et tenerum praetentat corpora frigus,
 51 jam lepus et pavidi petiere cubilia dammae,
 52 rarescunt noctis nebulae, mea vota virescunt.
 53 Abdidit exoriens rorantia Lucifer astra".
 54 Sic Moeris : Situlae rapido de flumine Bargus
 55 protinus hoc tetigit fugientia sidera cantu.

BARGUS

56 "Conquerar in tenera praecordia dura puella
 57 quantaque laudatae sit vana superbia frontis,
 58 luserit et quotiens pereuntem perfida dicam.
 59 Audiet haec superum genitor, si talia curat.
 60 Si tibi Riphaeis certantia colla pruinis
 61 dant animos, si te geminum tua lumina sidus
 62 tollunt et nivei tenuissima forma capilli,
 63 hisque ego dissimilis longe tibi visus et impar,
 64 fallere me ficto quid te juvat, improba, vultu ?

65 Audiet haec superum genitor, si talia curat.
 66 Nulla meae si te tangebant taedia mortis
 67 (te propter moriar !), Famam timuisse sequacem
 68 debueras : nam te crudelem nomine dicent,
 69 crudelem tellus, crudelem pontus et aer.
 70 Audiet haec superum genitor, si talia curat.
 71 Ah formosa silex, ah durum pectora marmor !
 72 Ipsa vides nostris flammis errare medullis,
 73 nostra vides quantae populentur pectora flammae :
 74 nil piget, atque mori cogis me ferrea tandem.
 75 Ibo et qua gelidi tolluntur saxa Fanani
 76 dulcibus immoriar lacrimis et, robore querno
 77 incumbens, solis prodam mea vulnera silvis.
 78 Audiet haec superum genitor, si talia curat.
 79 Cum menti subeunt quae quondam perfida nobis
 80 dixeris ("In viridi nascentur palmite glandes,
 81 vina dabit quercus, cum te mea vita relinquam"),
 82 mens fugit et saxum sublimi in vertice malim
 83 esse rude, immensos quam tot sentire labores.
 84 Haecine jurati dederas quae pignora amoris
 85 et superos testes et quae mihi plurima servo ?
 86 Audiet haec superum genitor, si talia curat.
 87 Est mihi quem dederas olim, dum candida fulsit
 88 illa dies, textus stipula flavente galerus
 89 urentesque avido stimulos fixura dolori,
 90 serpylla et violae fulvis religata capillis :
 91 his ego nequicquam questus et tristia fundam
 92 verbula et emitti quicquid dabit improbus ardor.
 93 Audiet haec superum genitor, si talia curat.
 94 Audiet haec, pietas si qua est, et pontus et aether
 95 fluminaque et montes, omnisque haec omnia tellus,
 96 audiet ac primo qui nunc aperitur Eoo
 97 Phoebus et ardentis jungens Aurora jugales
 98 fulgentem roseo faciem suffusa colore.
 99 Sed quid ego, ah demens, caelestia sidera tundo ?
 100 Audiit haec superum genitor, nec talia curat.

HERCULES INCIPIT. IN EO COLLOCUTORES TITYRUS ET CORYDON.

TYTIRUS

P_9 v.1 Dulcia si quando nobis nunc carmina nymphae
 2 dicite, Pierides, nunc vestris vocibus Aeglem
 3 prodere et arguto meditamur tollere cantu.
 4 En mihi turbati siluerunt murmura ponti
 5 horridaque immites posuerunt sibila venti.

CORYDON

6 Quo te cantantem, quo te via ducit euntem
 7 Tityre ? Ni pigeat, comites cantabimus ambo.

TYTIRUS

8 Quam mihi gratus ades, Corydon ! Te nuper amoenas
 9 quaesitum ad ripas Situlae jam linqere saltus
 10 dilectos dudum dilectaque carmina tristes
 11 dixerunt pueri : nunc quo tibi tendere cura est ?

CORYDON

12 Haec mihi quae geritur viridi sub tegmine pica
13 Herculeum didicit jampridem tollere nomen
14 innumerosque canit duro sub rege labores :
15 hanc domino ferimus, domino qui solus honores
16 Herculis egregios et nomina vera meretur.

TYTIRUS

17 Felices pueri quibus hoc sub principe tuta
18 arva jacent ! Non vos sinuoso vipera tractu
19 alligat aut torvi violentia dira leonis
20 exagitat trepidos, non vos rapit atra luporum
21 ingluvies, tuti tondent sua prata juvenci
22 et tutae passim fontes et flumina circum
23 pascuntur pecudes et gramina laeta capellae ;
24 at vos blanda quies viridique sub arbore somnus
25 detinet ad placidas vicini fluminis undas,
26 alite sub nivea magno quae sola tonanti
27 fertque refertque faces et turbida fulmina portat.
28 Tunc deus Herculeo tutatur nomine campos,
29 nec tristis acies nec proelia dura timentur.

CORYDON

30 Non alias virides majori pondere ramos
31 grandia suppositis traxerunt poma columnis.
32 Ante nec aut pecudes majori candida partu
33 pignora protulerant, totiens nec foeta capella.
34 Herculis adventu surgentia gramina campo
35 creverunt, placidae placidisque in montibus umbrae.
36 Illi notus ego, nobis sua munera sunt haec :
37 Tigridis exuviae cinctumque virentibus olim
38 hoc hederis baculum, nunc aurea sarta gerentem.

TYTIRUS

39 Magna dedit neque enim tanti te muneris umquam
40 immemorem esse decet, non si tibi longa darentur
41 tempora continuis donec solvatur ab annis
42 mundus et aethereis renoventur saecula flammis.

CORYDON

43 Tityre, tunc madido frondebunt cana decembri
44 lilia, tunc gelidis rorabit nudibus ardens
45 Sirius et tardi properabunt plaustra Bootae
46 cum meus ille meo labetur pectore princeps.

TYTIRUS

47 Si placet, hunc igitur pariter cantabimus : ille
48 me quoque consimili juvenem devinxit amore
49 quantum non hederae vitem, non vitis amicam
50 brachia fundentem quae circum amplectitur ulmum.

CORYDON

51 Quid faciam ? Princeps laudari dignus, at ingens
52 gloria praecipuis jamdudum ornata triumphis
53 cum subit imbelles trepidant nova pondera Musae.

TYTIRUS

54 Incipe quod quondam prima te luce canentem
55 sensimus arguti gelida de rupe Capelli :
56 "Plaudite, Hamadryades, viridique ex arbore sertum
57 implicet errantes per candida colla capillos,
58 nam meus Alcides patrias remeavit ad arces,
59 plaudite, jocundo resonent sua littora plausu".

CORYDON

60 Non indigna petis, sed nobis tendere ad urbem


61 est opus - ut nosti - et domino sua reddere dona ;
62 nunc etiam medio Titan sublatus Olympo
63 tollitur et timeo ne longis tempora desint
64 versibus, et nigra rumpantur carmina nocte.
TYTIRUS
65 Est iter hoc etiam nobis, nam poma favosque
66 haec Mutinae ferimus : tecum veniemus ad urbem
67 et, postquam juvenes ambo, cantemus euntes.
CORYDON
68 Cantemus vel quae cecini modo carmina dum me
69 spectaret placido cantantem lumine princeps :
70 "Florida lascivi redierunt tempora veris
71 et frondosa virent surgentis brachia silvae,
72 picta colorato variatur gramine tellus
73 puraque desertis decrescunt flumina ripis.
74 Nunc decet urgentes animi seponere curas
75 et niveum varia crinem cohibere corona,
76 nunc decet ad festas juvenem luisse choreas :
77 sparge rosam et placidi veniant bona numina Bacchi ! "
78 Vel quae jamdudum nymphis modulata canebam
79 frigida qua celeris labuntur flumina Circae :
80 "Mollis Amor, blanda perfusus membra quiete,
81 accubat et placidum suspirat naribus ignem,
82 spicula nequicquam nullo custode sub alta
83 fixa jacent pinu : celeres properate, Napaeae,
84 ite simul, roseae Dryades, rapite arma suisque
85 proelia temnentem puerum configite telis ! "
TYTIRUS
86 Dum te rura tenent, Corydon, tibi numina fontis
87 Castalii varias vario de flore coronas
88 texunt et liquida laudant tua carmina voce.
CORYDON
89 Quid faciam ? Semper ferulis componere vites,
90 semper et adjunctis componere vitibus ulmos,
91 errantis pecudes longis servare diebus,
92 et piget et duro res non toleranda labore est.
93 Sed procul ad veteris videor mihi compita quercus
94 cernere equos equitesque : eri (aspicis ?) ille superbum
95 cornipedem vexans, cui splendet proxima Phoebos
96 candida caesaries, cui dulcia lumina fulgent,
97 ille Sigismondus, domini germanus. At ecce
98 lux mea progreditur ceu sidere purior omni
99 Lucifer aurato depellit nubila vultu.
TYTIRUS
100 Jam vicinus adest, pariter properemus ad illum.

MATTHAEI MARIAE BOIARDI COMITIS ORPHEUS INCIPIIT.

P_10 v.1 Si mea lascivis, princeps invicte, Thalia
2 carminibus stridens castas offenderit aures,
3 da veniam : primis tibi talia ludimus annis,
4 dum faciles versus et mollia verba canentem
5 oblectant, blando dum mens torquetur amore.

6 Tempus erit cum te victricia signa gerentem
 7 laeta triumphali celebrabunt carmina cantu,
 8 at nunc coepta canam. Crudelia numina nymphae
 9 formosum nitidis puerum rapuere sub antris,
 10 qui comes Alcidae fatales ire per undas
 11 ausus erat, tumidos cum fluctus finderet Argo.
 12 Arreptum clari proceres flevere, sed omnes
 13 ante alios magno ploratus ab Hercule fertur :
 14 non illum comites, non illum blandus Iason
 15 erueri inde valent solitoque avertere luctu,
 16 sed gemit et carum dejecto perditus ore
 17 ardet Hylam et maestis exposcit vocibus illum.
 18 Quin etiam pharetras et torvi magna leonis
 19 tegmina et horrentis fortissima robora clavae
 20 fregisse et fluctu referunt mandasse marino.
 21 Quas non blanditias, quae non solamina ducit
 22 Threicius vates moturaque verba leaenas ?
 23 Ille etiam dulci pereuntem flectere cantu
 24 nixus et impulsis lacrimas expellere chordis,
 25 sed neque Pierii cantus nec carmina flentem
 26 ulla movent, quamquam zephyris spirantibus aequor
 27 constitit et fixo stupuerunt aequore venti,
 28 quamquam continuis torpentia saxa pruinis
 29 dulciaque arguti senserunt carmina montes,
 30 securas placidi capreas fovere leones,
 31 et trepidae medio volucres haesere volatu.
 32 Ille, Estense decus, patriae non inscius artis,
 33 venturosque dies et saecula nostra canebat.
 34 "Quid gemis, Alcide ? - dixit - tua nomina tellus
 35 audiet Argoo nondum religata rudente,
 36 te gelidi rapto memorabunt vellere Colchi,
 37 torrida te Libyae rapto Busiride, et olim
 38 pastor ab edomito dives remeabis Hiberno ;
 39 adde quod hoc nomen sese fortissimus heros
 40 induet, armato cui non impune superbus
 41 occurrat Mavors, cui non Ledaesus ovanti
 42 certet equis Castor, celeri nec Delia cursu.
 43 Felices populi, felicia tempora ! Vobis
 44 delicium humanae servarunt sidera gentis.
 45 Illi praecipuas certabunt addere dotes
 46 concordes Parcae : non illum pulcher Apollo
 47 exsuperet forma, docto non pectore Pallas.
 48 Illius et variae vestigia lambere lynces
 49 cogentur, domitusque deum venerabitur orbis,
 50 quamvis terribili clava spolioque leonis
 51 Lernaeoque carens saturata felle pharetra.
 52 Nascere, vera deum soboles, quo principe rursus
 53 Herculis Hesperiae celebrabunt nomina gentes,
 54 nascere, purpureis plaudet tibi Juppiter alis
 55 et dabit ingentes regno superaddere terras
 56 antiquo ; neque enim sinuoso flumine cincta
 57 arva Padi, nec te niveis concreta pruinis
 58 ardentem gelidi capient dumeta Lonati,
 59 nec latus Hadriaco pulsatum turbine nec qua
 60 frigida saxosas perstringit Lentia ripas.
 61 Gaude igitur tantum felix geniture nepotem
 62 Alcide, raptumque suis concede Napaeis
 63 tandem sanus Hylam. Quid flentia lumina torques

64 altaque laxato suspiria pectore ducis ?
 65 Tune ille immenso cujus sub robore quondam
 66 concidit Argivi populatrix belua saltus,
 67 cujus terrigenae vultum tremuere gigantes
 68 Antaeusque Libys ? Nunc si te Monicus alta
 69 rupe jacens flentem videat, si turbidus ira
 70 Hylaeus fractaque horrendus ab ilice Rhoetus,
 71 quam pudeat victos ! Muliebri insistere luctu
 72 sit pudor et tenero tantum cessisse dolori".
 73 Orpheus haec olim, sed nunc mihi carmine vero
 74 cantandus venies. Linquam virgulta Lycaei
 75 et nemus et pecudes, teque horrida bella gerentem
 76 dicam, seu puero propior certare duello
 77 ausus es ancipiti, cum te Pandonius heros
 78 robore confisus praestanti et fortibus annis
 79 liquit et impulsis convertit terga lupatis
 80 cornipedem crebris pavidum calcaribus urgens ;
 81 seu cum ludus erat juvenum procurrere in hastis
 82 ingentem ut tuleris ingenti robore remum,
 83 tollere humo quem vix poterant impune gementes :
 84 vidit Parthenope, populi videre ducesque,
 85 notus et Herculeo servatur nomine remus.
 86 Magna quidem sunt haec, sed enim puerilia. Quid cum,
 87 jam juvenis, jam vir Siculos Calabrumque fugacem
 88 disjicis, et viso trepidant adamante cohortes
 89 Aragonum, cum rex castris Sarnoque relicta
 90 Apula veloci transmisit pascua cursu ?
 91 Ista canam, vel quae gestis majora parantur
 92 gesta tibi. Ingentes, aderint si bella, triumphos
 93 auguror : augurium non hoc mihi pandit Apollo
 94 nec vaga Cirrhaeo vates seclusa sub antro,
 95 sed tua jam caelo et terris bene cognita virtus.
 96 Interea has stabulis pergam mandare capellas,
 97 quando umbrae ingentes nec tutum degere silvis
 98 luce sub extrema, ne forte aut turba luporum
 99 ingruat aut imbres subiti. Cras altera reddam.
 100 Munera : majori cantandus carmine surgis.



Matteo Maria BOIARDO